

DE ONANISMO CONIUGALI OPE PESSARII OCCLUSIVI. CORRIGENDUM IN MANUALIBUS THEOLOGIAE MORALIS

Monitum Sancti Officii.—“Ingravescente in dies onanismo artificiali, quem dicunt, quo nempe naturalis generationis actus, mediis sive chimicis sive mechanicis, vi novam vitam procreandi privatur, Suprema haec S.C.S. Officii, ut vitae matrimonialis sanctitatem tueratur, Ordinarios haec monet: sollicitate invigilente ne hac in re dictamen conscientiae fidelium, sive viva voce, sive scriptis, pervertatur neve morum integritas hoc turpi vitio depravetur. In particulari haec monet: Quod in quibusdam regionibus peculiariter asseritur de sic dicti “pessarii occlusivi” aliquando in actu coniugali licita “appositione”, de cuius tamen malitia morali intrinseca nullum est dubium, omni ex parte damnatur et reiicitur. Insuper Ordinarii neve permittant fideles, sive viva voce, sive scriptis edoceri “in casu “pessarii occlusivi”, contra viri cooperationem, etsi materiale, ex parte legis christiana nihil esse, et quidem graviter, monendum”. Confessarii et spiritus directores, qui contrarium censem, et fidelium conscientias ita erudiant, longe a veritate atque a legis moralis puritate aberrant. Ulteriores publicationes, discussiones, conferentiae, etc. de liceitate talis cooperationis viri omnino interdicuntur; et Ordinarii current ut huic vetito ab omnibus religiose oboediatur”.

Ne lectoris nostri huius Moniti notitia priventur, illud hic inseruimus. Sed eosdem lectores monitos volumus nos tale documentum non ex Actis Apostolicae Sedis excerpisse, sed ex ephemeridibus **PERFICE MUNUS 16 (1951) 16-18**. De authentia textus respondet P. Boschi, S. J., qui in ephemeridibus memoratis asserit se licentiam habere ad monitum publici iuris faciendum. Nec datam illius exprimit nec personam cui fuit datum, dicit tamen Monitum esse anni 1955, quamvis ex commentario ipsius P. Boschi concludendum videatur documentum latum fuisse anno 1954. His dictis, prudens lector coniiciat ipse quantum auctoritatis Monito sit tribuendum.

Quaestio est in Monito de marito qui uxorem cognoscit pessario occlusam, aliove medio artificiali quo meatus clauditur vagina posterior ne semen virile ad uterum concendet ita ut ovulum femineum (si quod sit) fecundari nequeat. Uxorem quae ita seipsam occlusit a peccato

mortali eximit nemo, nefas enim est opus coniugale arte viciare ita ut foecundatio sit impossibilis, quia id esset contra bonum prolis peccare.

Sed res uxoria, etsi a duobus fit, tamen suam quisque facit actionem quae ipsi uni imputatur, nec de se peccatum alias in alium transfertur, sicut neque meritum. Profecto omnes declarant peccati expertem uxorem mariti qui onanistice agit per retractionem, si ipsa, quantum de se est, rectum facere contendat. Eadem ratione suffulti, doctores quidam nec numero pauci, nec auctoritate parvi, existimant innocenter agere maritum qui ad uxorem accedit occlusam modo ipse munus a natura inditum quod sibi est proprium recte exerceat, penetrando nempe vas femineum et semen intra ipsum immittendo; quod si femina peccatum commitat non propterea virilis pars censenda est eodem peccato insordesci, quia eius cooperatio ad nefariam uxoris actionem non est formalis sed solum materialis. Nec impossibile videtur quod maritus occlusam esse feminam ignoret.

Quaestionem vide breviter discussam in vulgato *Theologiae Moralis compendio* a P. ZALBA exarato (vol. I, Madrid, B.A.C., 1958, n. 1546, 2) con Auctoribus qui pro alterutra sententiarum decertant; quibus addi possunt PEINADOR, *Cursus brevior Theol. Mor.*, vol. III pro sententia severiori et A. IORIO (anno 1960) pro benigniori, ut refert APODACA in "Ilustración del Clero" 54 (1960) 478 ss. Ipse vero ZALBA sententiam rigorosam tuetur.

Iam, vigore Moniti nuper publici iuris facti, benigna sententia quam diximus teneri non potest et expungenda est e libris manualibus *Theologiae Moralis* e quibus confessores animarumque pastores doctrinam de rebus moralibus haurire solent; statutum est enim in Monito relato maritis numquam licere proprias uxores cognoscere quae seipsas etiam sine eorum culpa neque cooperatione occluserunt; qui vero contrarium docent tum a veritate, tum a legis moralis puritate quam longissime aberrant.

T. G. BARBERENA